




Wd 67.



26

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA,
DE
INTERPRETATIONE
BENEFICIORUM PRINCIPIS,

ad l. 3. de Constit. Princ.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI HEREDE, &c. &c.

SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTIANI THOMASII, JCtI,
S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILIARII, ET
PROF. PUBL. AC FACULT. JURID.
h. t. DECANI,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTET

DANIEL KÜSTER,
BERNB. ANHALTINUS.

AD DIEM XXV. JUNII M DCC I.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS CHRISTOPHORI SALFELDII, VIDUÆ.
Recusa 1735.

БІЛГІЯ ТА ГІДРІЯТИН
БЕЗЕРГОВИМ ПІДІМСЯ
ЦІ СІДЕ СОЛНЦЕ ПІДІМСЯ
І МЕНІ ВІДІМСЯ
ЧЕЗУМО ПІДІМСЯ ОКЕ ДОМІСЯ
ОКЕ РІДДЕРІСО АН НЕДІМІСЯ

ПІД ГІДРІЯТОМ СІЛ ІСІ
І СІЛ МАГІСТРОВІСІЛ ГІДРІЯТОМ
І ОКЕ РІДДЕРІСІЛ ГІДРІЯТОМ
І СІЛ КІМІСІЛ ГІДРІЯТОМ
І СІЛ ЧІСТОНОІСІЛ ГІДРІЯТОМ

Nobilissimo Dn. Respondenti

S. P. D.

P R A E S E S.

Aliquoties & docui & scripsi, ad falsas regulas interpretationis, quæ JCtis familiares sunt, etiam illam pertinere, quod beneficia Principis latissime sint explicanda; & hanc quidem talem esse, ut ne unicura quidem ejus exemplum concipere possim, in quo eadem usum habeat genuinum. Multis hæc assertio scandalō fuit. Sed spero, eos & quius de illa judicium esse laturos, si tuam disputationem inspicerint, in qua, meo quidem judicio, rem ita deduxisti, ut palpari possit. Non tamen ægre feres, ut elaborationi tue adhuc duo verba addam, ex quibus mens mea in quibusdam momentis adhuc distinctius intelligi possit.

Scilicet quæstio est: an ad regulas interpretandi referenda sit assertio: Beneficia principis latissime esse exponenda? In qua quæstione interpretatio latissima non solum denotat interpretationem extensivam, ubi verba privilegii extenduntur ad casus sub verbis non comprehensos, sed & ex interpretatione doctrinali illam, quando verba privilegii duplicum habent significatum, unum laxiore vel generalem, alterum strictiore vel specialem, ita, ut in dubio propter hanc regulam laxior significatus sit præferendus strictiori. Hæc ideo moneo, quia video in formando statu controversiæ te quidem primario mentionem facere interpretationis extensivæ, §. 18. 19. sed hoc monitum tamen non esse contra tuam mentem paret ex §. 33. seq.

Quæstio hæc dum a nobis negatur, non is sensus est, quasi nullus possit occurrere casus, in quo circa dubiam privilegii interpretationem aut latissima vocis acceptio præferenda sit strictiori aut etiam verba privilegii & beneficii Principis extenda sint ad speciem sub verbis non comprehensam. Sed

A 2

quod,

quod, si talis interpretatio locum habeat, id omne deduci debeat ex aliis interpretationis regulis, quas adhibemus in interpretatione cuiuscunq; voluntatis humanæ, nunquam ex eo, quod versemur in materia beneficiorum principis. Imo, si alii conjecturarum fontes desint, tunc potius in dubio pro strictiori vocis acceptance & verbis non extendendis esse pronunciandum.

Prius expositionis hujus membrum, quorsum & tu inclinas §. 41. declaro sequenti exemplo. Princeps per beneficium delinquenti dedit salvum conductum, vel his verbis, quod libere possit redire a judicio, vel, quod libere possit accedere ad judicium. Hic, quamvis aditus ad judicium non comprehendatur sub voce reditus, nec reditus sub voce aditus, utrobique tamen utrumque horum intelligetur, non solum, quod liber reditus presupponat liberum aditum, sed &, quod, etiamsi liber aditus non presupponat temper liberum reditum, verba tamen intelligenda sint cum effectu & explicanda ad naturam negotii, de quo actum est. Jam autem certum est, eum, qui petit salvum conductum, utrumque petere. Igitur hæ explications vocum latiores & extensivæ non sunt ideo, quia verba extant in beneficio principis, sed quia hæ explication fieret, etiamsi quilibet judex inferior, vel privatus etiam, salvum conductum promisisset. Contra si delinquens vitalis concessionis a principe impetrata, qua expresse etiam utriusque & liberi aditus & reditus fecisset mentionem, vellet commorari pendente processu criminali in loco judicii, & confugere ad regulam, quod beneficia principis sunt extendenda, is haud dubie se gravissimo periculo exponeret, & cogeretur audire: se inepta interpretationis regula usum esse, quia hæc ejus interpretation non alia bona interpretationis conjectura intercedet, unde & in praxi, dum salvus conductus specialis impetratur aut conceditur, in specie commorationis mentio debet fieri.

Poste-

Posteriorius vero membrum paucis ita demonstro: Omnis interpretatio est de re dubia & controversa. Jam igitur, dum agitur de interpretatione privilegii, vel is, qui privilegium accepit, controversiam habet cum tertio, & tum ex communione afferito omnia beneficia principis erunt restringenda, quia omnia intelliguntur salvo jure tertii; vel controversiam habet cum ipso principe, tum haud dubie princeps vult restringere privilegium, impetrans ampliare & extendere, (casus enim non poterit concipi, ubilis sit inter principem & beneficiarium, ita ut princeps velit gratiam suam extendere, beneficiarius autem minuere). At vero quia inter privatos regula est non irrationalis: quod donationes sint stricte accipienda, quia scilicet donatarius sibi imputare debebat, cur non clarior sit locutus, non erit causa, cur princeps non debeat uti jure privatorum.

Igitur miror acutissimum Antonium Fabrum in rationalibus ad h. l. nostram non vidisse in epistolas doctrinæ communis, sed potius conatum esse, rationem ejus ita suppeditare, quod ad Principis maiestatem pertineat, ut liberalissimus existimetur. Si parneyricos scriptisset Faber, tolerarem hanc rationeulam, vel parvam & non adeo subtilem adulacionem. At scriptori rationalium eam vix condono. Sufficit maiestati principis si liberalis sit. Superlativi virtutum, ad excessus virtutum, h. e. ad vitia, pertinent, & adeo liberalissimus revera est prodigus. At prodigalitas non decet maiestatem principis.

In examinandis exemplis, quæ a doctoribus ad illustrandam regulam afferuntur, quæ tu singulare oratione ponderasti, summatim res eo redire videatur. In illis vel plane non sit extensio aut interpretatio latior, & tum sunt impertinentia, aut si sit, tum vel decisio illa falsa est, & tum sunt iterum impertinentia, vel vera, & tum vel ideo, quia princeps interpretatione authenticâ voluntatem suam de novo sic declaravit, ubi sunt rursus impertinentia, quia queritur de interpretatione doctrinali, vel denique, quia alia regula communis interpretandi id

A 3.

frudet,

suadet, tunc sunt ideo impertinentia, quia querimus exemplum, quod deficientibus aliis interpretationum fontibus ex hac regula sit dernonstrandum. Ex paucis hisce momentis & tu exempla glossæ Feltmanni & Tapia rejecisti, & alia omnia aliorum forte JCTorum rejici possunt. Ita miror, subtilem Bachovium in περὶ τοις ad hanc legem, sequestratis glossæ exemplis, ista tria tanquam meliora attulisse, quorum mentio fit in l. sicut 38. ex quib. caus. majores, l. quidam 57. de re judic. l. Princeps 21. de V. S. qua tamē facillime ex dictis refutari possunt.

Quæ in fine adjecisti de mente & intentione Javoleni, de illis hæc est mea sententia. Non credo, JCTum posuisse hanc regulam tanquam rationem dubitandi, sed potius ut conclusio nem seu decisionem questionis controversæ ex alia quadam regula bona interpretationis profluenter, contra interpretationem cavillatoriam. Ita, si cavillator in dato supra casu principi, qui liberum aditum ad judicium delinquenti indulserat, suaderet, ut post aditum delinquentem in redditu incarceratedet, haud dubie justus interpres regerere posset: Beneficia principis esse plenissime accipienda. Potest eadem conclusio adhiberi & deduci ex regula, quod verba intelligenda sint cum effetu, & ne nihil actum videretur, quo spectat casus de Ponticis l. i. in fin. ad municip. quem examinas §. 23. Potuisset enim & tum Celsus hæc verba adhibere: Privilegium Pompeji esse plenissime accipiendum. Idem dicendum de questione in d. l. 57. de re judic. Regulariter minor non poterat sententiam efficacem pronunciare. Princeps misori per beneficium contulerat magistratus officium, quererebatur: an sententia ab eo dicta valeret? Quidni? alias enim concessio hæc esset sine effectu. Poterat igitur & hic JCTus dicere: Beneficia principis esse plenissime accipienda, &c. Tu interim vale. Dabam ex museo
l. 20. Junii 1701.

DISPU-

DISPUTATIONIS DE Interpretatione beneficiorum Principis SUMMARI A.

In commoda ex modo excerptendi leges Pandectarum orta. §. I. In-
sufficiencia ipsorum compilatorum. §. II. Falsa interpretandi re-
gula, et si in Corpore juris exrent, pro legibus tamen non sunt habenda. §.
III. Multæ tales falsæ regulæ a J. C. Cris. tradidissent. §. IV. Inter quas
etiam est, quam ex l. 3. de Constat. Princip. formant: beneficia prin-
cipis esse latissime interpretanda, §. V. quod hac dissertatione fusus
ostendetur. §. VI. Methodus dicendorum. §. VII. Beneficii vox quot
modis accipiat? §. VIII. IX. X. Beneficii vox in d. l. 3. privilegium
sub se comprehendit, non certam speciem privilegio contradistinctam
denotat, §. XI. XII. XIII. nec in specie saltrem denotat largitiones
Principis, §. XIV. sed generalissime hic accipitur. §. XV. Quæ de be-
neficiis Imperatoris hic dicuntur, etiam vera esse debent de beneficiis
a principibus imperii indulitis. §. XVI. Per interpretationem in l. 3.
intelligitur non authentica, sed doctrinalis. §. XVII. Per plenissi-
mam interpretationem intelligitur extensiva. §. XVIII. Formatur
status controversiæ & fundamenta communis sententia exponuntur.
§. XIX. Rejicitur fundatum ex regula de favorabilibus & odiosis
desumrum, item exinde quod donationes principis non indigeant con-
firmatione. §. XX. Rejicitur & aliud ex l. 2. C. de præpos. agensi. in
reb. conquistatum. §. XXI. Considerantur casus legis. Rejicitur ut
impertinens casus glossæ: Principem, domo concessa, concessisse etiamsi
adjacentia, & simul responderetur ad casum. l. 2. C. de bonis vacant, &
quæ doctores inde concludunt. §. XXII. Rejicitur casus ex l. 1. §. 2. ad
munic. desumrum. §. XXIII. Item aliud ex l. 43. pr. de V. & P. S.
§. XXIV. Item aliud in l. 9. C. quæ res pign. oblig. §. XXV. Et porro
aliud ex Nov. 22. §. 32. & l. 4. ff. de jure immunis. §. XXVI. Ostenditur,
glossam objectiones sibi non pertinenter formare nec perirriter re-
spondere. §. XXVII. Examinantur casus a Gerardo Feltmanno pro
exemplis regulæ suppeditati. Rejicitur primus, §. XXVIII. secundus,
. XXIX.

§. XXIX. tertius. §. XXX. quartus & quincus. §. XXXI. Transitus
ad Caroli Tapia commentariorum ad nostram legem. §. XXXII. Exa-
minantur exempla Tapia. Horum varias classes format: (1) Latissimæ
interpretationis quoad verba, cajus exemplum rejicitur. §. XXXIII.
Notatur regula Tapia: verba enunciativa Principis ex certa scientia
prolata dispositionem inducere. §. XXXIV. XXXV. Notatur & il-
lud: in feudis principum verba late esse accipienda, et si feidis aliis
conveniat stricta interpretatio. §. XXXVI. (2) Latissimæ interpre-
tationis quoad res. Ubi rejicitur exemplum Tapia ex l. un. C. si liberal.
Imper. §. XXXVII. & aliud. §. XXXVIII. (3) Latissimæ interpre-
tationis quoad personas. Rejiciuntur Tapia exemplum ex l. 7. in fu-
ff. de Senar. §. XXXIX. et ex aliis juris textibus. §. XL. Item aliud
de feudo concessio pro se & filiis. XLI. Aut de immunitate concessa
aliqui & posteris §. XLII. (4) Latissimæ interpretationis quoad tem-
pus. Et hujus classis exempla rejiciuntur. §. XLIII. XLIV. (5)
Latissimæ interpretationis quoad locum. Rejicitur exemplum ex l. 1.
§. 4. ff. de offic. Praef. urb. & casus quem inde deducit Tapia. §. XLV.
(6) Latissimæ interpretationis quoad solennitatem & validitatem,
ubi afferit exempla plane impertinentia. §. XLVI. Rejiciuntur Carp-
ovii & Zosii distinctiones, quibus in expositione legis nostra utan-
eur. §. XLVII. XLVIII. Afferio: beneficia principis esse latissime ex-
plicanda, repugnat rationi, quia adimit principi jus, quo etiam pri-
vati utuntur. §. XLIX. quia etiam ex doctrina ipsius iuris Romani in
l. 43. de V. & pupill. substit. interpretatio doctrinalis debet subordi-
nata esse authenticæ. §. L. Item, quia privilegia conceduntur præter
aut contra ius commune, talia autem non sunt facile extendenda, &
quia l. 19. ff. de R. I. regula illi repugnat. §. LI. Denique, quia prin-
ceps beneficia plane revocare potest. §. LII. Practici etiam communiter
contra regulam illam definisunt quæstiones controversias, v.g. dum
quaritur de concessis a Principe iuri venandi interpretatione. §. LIII.
Item de concessis iuri jurisdictione. §. LIV. Respondeunt objectionibus
legulejorum contra doctrinam nostram, & concluditur, legem 3. de
Conf. Princ. non esse regulam interpretandi. §. LV.

§. L. EX



§. I.

X quo interpres juris Romani solidis interpretandi fundamentis sepositis unice id egerunt, ut leges a compilatoribus s^epe truncatas quovis modo defenderent, de applicatione genuina interim parum essent solliciti, non aliter fieri potuit, quam ut nubem pro Junone acciperent, vel distortas & male coh^erentes regulas lectoribus obtruderent. Quamvis enim veteres jureconsulti regulas bonae interpretationis plerumque non neglexerint, incuria tamen Triboniani s^epissime factum, ut, dum nervum ex veterum JCtorum libris tradere debuerit, textus ita laceravit, ut rationem quandam secundariam & inadequatam, tanquam legem notabilem, excerpserit, omisso plane ipso casu, cui ratio a JCTis applicata fuerat. Quin cum in responsis rationes dubitandi inseri soleant, illae vero vel s^epius falsae vel saltim maximopere restringendae, certe fieri potuit, ut compilatores talem arripiendo rationem, illam tanquam legem quandam ex responsis JCtorum excerpserint, & sic nobis falsas pro veris interpretandi regulas reliquerint.

§. II. Nec caret hae assertio sua probabilitate. Barbaries eorum temporum, ubi hae compilatio facta, satis nota est, & ipsa experientia optime probatur. Compilatores vero genuinis jurisprudentiae fundamentis fuisse destitutos, ubique apparet, & vel ex solo modo, quo selectio capitum JCtorum libris facta, ostendi potest. Et restant, proh dolor! in nostro iure tot vestigia horum imperitiæ & insufficientiæ, ut de eo dubitare prudentiores ha^ctenus non potuerint. Non itaque mirandum, quod s^epius casus deficiat, cui lex hae vel illa applicari possit, cum & JCTi suas rationes non ubique pro veris & genuinis venditavarint.

B

§. III.

§. III. Etsi vel maxime detur, a Jctis regulam quandam interpretandi quandoque esse adhibitam, quæ tamen contra fundamenta genuinæ interpretationis pugnat, adhuc dubium illud remanet, an talis regula legis vicem sustinere possit in applicatione. Doctrina enim interpretandi aliunde perenda & ad Jurisprudentiam afferenda. Illam tradit logica, & sic res judicij & intellectus est, qualia quæ sunt, sub sphæram legum non cadunt. Leges disponunt de negotiis civium, quomodo sint instituenda, & sic normam voluntati præscribunt. At, quomodo sit judicandum, non voluntatis sed intellectus opus est, & hinc leges hic suum officium perdunt, vel saltim perdere debent.

§. IV. Hoc non observato factum est, ut qui doctrinam interpretandi jura ex doctoribus nostris tradiderunt, ex singulis fere legibus novas regulas interpretandi exstruxerint, eorumque numerum adeo auxerint, ut sub harum mole fere gemat hodie jurisprudentia studium. Cum tamen, si ex logicis doctrinam de interpretatione hausisset, & illam ad jurisprudentia studium attulisset, paucioribus regulis tota doctrina interpretandi absolví potuisset, ceu ostendit Dn. Præses in Parte secunda vir Vernunft-Lehre. Verum nimia adoratio juris Romani, ut & communis persuasio, quasi omnes sapientia thesauri in jure Romano essent reconditi, obfuit, quominus plurimi ultra Justinianum suum saperent.

§. V. Plures ejusmodi regulas interpretandi falsas, quæ tamen Doctoribus nostris in precio habentur, & in omnium ferme ore sunt, hic coacervare possemus, si ratio instituti hoc ferret, nec illæ passim jam essent rejectæ tum ab aliis, tum a Dn. Præside potissimum. Regula de favorabilibus & odiosis hodie senioribus odiosa sunt, postquam falshæ earum detectæ est. vid. Dn. Præs. Jurispr. Div. lib. 2. c. ult. append. Ejusdem farinæ est alia regula, quam ex l. 3 ff. de Conf. Princip. haurire solent, ubi Jayolenus ita: *Beneficium Imperatoris, quod a divina scilicet*

BENEFICIORUM PRINCIPIS.

3

scilicet ejus indulgentia proficiuntur, quam plenissime interpretari debemus. Exinde statim doctoribus nostris regula interpretandi nata: privilegia principis sunt latissime interpretanda, adeo ut absque dijudicatione, verane an falsa sit, ubique adhibeatur.

§. VI. Vérum tot difficultates & dubia circa hanc regulam ubique sese offerunt, ut fere adhuc hodie doctores titubent, quomodo hæc regula sit intelligenda, & qua ratione salvis principiis juris, alisque legibus, applicari possit. Et quatinus plerique facile deprehendere possent, regulam hanc ad doctrinam interpretationis proprie referri non posse, si rem ex vero æstimant vellent, tamen, ne quid pereat ex legibus nostris, & ne iota quidem, uti superstitione homines quosdam occidere soler, malunt centies errare cum legibus suis, quam veritati indulgere. Sed hos quidem sub jugo præjudicij autoritatis sudare permittamus, nobis interim etiam concedent, ut ea, quam veritatis studium nobis indulget, libertate utamur, & in præsenti dispuratione regulam illam de interpretatione beneficiorum principis plenissime facienda excutiamus, inquisituri an aliquem usum illa habere possit.

§. VII. Ne vero more andabatarum certare videamur, e re erit, ut primo quidem in genuinum hujus regulæ sensum inquiramus, nam & hic valde cespitant doctores, & ita enucleemus, quid hic intelligatur (1) per beneficium, (2) per Imperatorem, (3) per r̄d interpretari, & (4) per r̄d plenissime, ut his enucleatis statim controversia recte formari possit: deinde excutiamus casus, quos doctores ad hanc legem conglomerare solent, visuri an eo pertineant, & denique per exempla contraria ostendamus, hujus regulæ applicacionem in totum cessare.

§. VIII. Beneficii vox varie accipitur. Quid in moralibus beneficii nomine veniat, libris septem exponit Seneca, ubi l. 4. c. 29. duo beneficii requisita tradit (1) rei magnitudinem (2) ut ejus causa faciam ad quem volebam pervenire

B 2

bene.

4 DISP. JURIDICA, DE INTERPRETATIONE

beneficium, dignumque eum judicem, & libens attribuam, quæ quidem hic in examen revocare non vacat, cum Dn. Praeses in der Sitten-Lehre Part. i. c. 6. n. 52. seq. hanc materiam pleniū pertractaverit. Sensu juridico imprimis hæc vox prædicatur de summo principe, ejusque gratiam & liberalitatem denotat. Sic notum est, antiquitus feuda fuisse dicta beneficia, cum quoad suam originem processerint ex liberalitate Principum erga eos, qui eis in bello fidelem navaverant operam. Unde & feudista 2. F. 23. ex definitione beneficij, quam Seneca tradit lib. i. c. 6. definitionem ipsius feudi struit, quod scilicet res immobilis beneficiaria, h.e. feudalis, ex benevolentia alicui detur; quo sensu beneficiare pro infeudare & beneficialis pro vasallo usurpari in legibus coepit vid. Schilt. ad Jus Allem. feud. ad Rubr. §. 5. Dedit hæc ipsa vox beneficij ansam Friderico I. severius papæ Adriano respondendi, quasi scilicet dignitatem imperialem ex beneficio papæ accepisset, quamvis postea Adrianus vocem beneficij pro bono factio accipiendam voluerit. Epistola ipsæ legi possunt apud Radevicum de Gest. Frid. I. lib. i. C. 9. 10. & 22.

§. IX. Simili significatione jam olim apud Romanos hanc vocem venisse constat ex Dolabella de agrimensoribus, ubi ita: *Queris si in libro beneficiorum regionis illius beneficium Augustus dedit;* intelligi videlicet libros, quibus conscribebantur, quæ principes militibus aliisque largiti erant.

§. X. Deinde beneficium prædicari potest in genere, de quacunque gratia & indulgentia principis seu summi imperantis, ut non tantum liberalitatem seu largitionem denotet, sed etiam, quando alicui ob meritum quid indulget contra communes regulas juris, quando dispensat, gratiam delicti facit l. i. f. 12. de pæn. privilegia & immunitates concedit, dignitatem & eminentiam singularem alicui confert, quo sensu Germanis dici posse. Der Fürst hat mir eine Gnade gethan. Sic imperiale beneficium dicitur in l. i. C. de stat. & imagin. quando Imperator concedit, ut bene merenti statua collocetur.

§. XI.

§. XI. Quo vero sensu vox beneficij in nostra lege veniat, non adeo constat inter doctores. Nonnulli beneficium hic privilegiis opponunt, & id demum beneficiis adscribendum centent, quando in sui præjudicium princeps tantum quid concedit, cum contra privilegia recipientia præjudicium tertii. Verum valde subdubito, an hoc sensu vox beneficij hic accipienda sit. Nam generaliter in cit. l. pen. ita circumscribitur, *quod a divina Imperatoris indulgentia proficiuntur, quæ verba ubique indicant, in genere omnem gratiam, indulgentiam, & sic etiam privilegia, quæ singularem indulgentiam continent, sub hac voce beneficij venire.* Intrat ergo potius vox beneficij vicem generis, & privilegia aliasque indulgentias tanquam species sub se complectitur.

§. XII. Deinde nec perpetuum esse videtur *privilegia*, quod illud concedatur in præjudicium tertii. Quoties mulier ad adoptandum aliquem admittitur, illud facit ex privilegio & indulgentia Imperatoris §. 10. de adopt. Ubi vero hic præjudicium tertii? Ubi quis per privilegium contra jus commune obtinuit, ut has vel illas aves haec tenus capi veritas capere possit, ubi tunc præjudicium tertii? Imo hodie regulariter jura venandi per privilegium concedi nobilibus a principe dieunt doctores; ast ibi nullum regulariter alterius præjudicium versatur. Quid quod a natura privilegiorum alienum esse videatur, quod tendat in præjudicium tertii, cum semper ex propria doctorum confessione intelligentur sub clausula: *Salvo iure tertii.* Sunt ergo & hoc sensu beneficia, cum neminem gravare debeant l. 4. C. de Emanc. lib.

§. XIII. Et sane vix capere possum, cur in hac lege operosuerint beneficia privilegiis, & duas diversas species inde formaverint, cum tamen ex stylo Romanorum *ovoyūpos* accipiatur. Demonstrabo id aliquot legibus ex ff. perius. In l. 68. de R. Z. diserte agitur de privilegio personæ ob certam conditionem

tionem indulto, & illud ibi dicitur *beneficium*. Sic Celsus in l. 191. eod. de interpretatione privilegiorum ex omnium confessione agit, & eadem dupliciter beneficiorum voce insignit. In l. 43. pr. de vulg. & pub. subs. privilegia dicuntur *beneficia principalia*, ut & in l. 38. ex quib. caus. maj. l. ult. ff. de adopt. l. 98. ff. de acquir. vel omitt. hered. Sic privilegium a Trajano concessum multis locis dicitur *beneficium Trajanum*, ut in l. 13. §. 6. l. 15. §. 3. l. 42. §. 1. l. 49. de jure fisci. Plures hic coacervare posse leges, nisi ex his constaret, Jctis antiquis familiare fuisse, privilegia nomine beneficiorum exprimere. Imo puto *beneficium* vocabulum in ff. frequentius occurrere, quam *privilegia*.

§. XIV. Ex his allegatis legibus quoque refutari possunt illi, qui in d. l. vocem beneficiorum restringunt ad meras largitiones & liberalitatem principis. Nam id quidem nulla ratione neglege probant, sed tantum ideo faciunt, ut asylum inveneriant, in quo legem suam notabilem recondere & sic salvare possint. Sed infra docebimus, ne sic quidem salvari posse.

§. XV. Puto ergo per *beneficium Imperatoris* ex propria Jcti definitione omnem omnino gratiam, indulgentiam, *privilegia, dispensationes, largitiones, &c. intelligi debere*. Hæc enim omnino voce *beneficii* principalis stylo Romano exprimuntur. Quod si id dissentientes non concedent, postea *καὶ ἀρχέων* adversus eosdem pugnabimus, & adeo, si pertinaces hic esse velint, acceptiones eorum ex proprio cerebro & subtilli ingenio excogitatas interim admitemmus.

§. XVI. Per *Imperatorem* intelligo summum tenentem imperium, quod ha&et;tenus de *Imperatoribus Romanis* certum & indubium est. An vero solummodo hæc regula ad hunc restringi debeat, cerratum fuisse constat ex iis, quæ ad b. l. annotat B. Dn. Brunnen. n. 3. Quasi scilicet in nostris Imperii Germanici principibus regula locum habere nequeat. Sine dubio, qui hanc sententiam foverunt, principes nostros considerarunt cum publicistis antiquis, quorum omne jus publicum ex jure

Jure Romano petebatur, tanquam magistratus meros, & ita ad talem conclusionem delapsi sunt. Sed hodie nemo forsitan vanus & insipiens erit, qui hujuscemodi fabulis inhærebit, adeoque certum est, si hæc regula vera & in beneficiis ipsius Imperatoris, etiam vera esse debet in beneficiis & privilegiis, quæ ex principiis nostrorum imperii indulgentia proficiuntur.

§. XVII. Jam ulterius de *Interpretatione* quædam addenda. Interpretari est exponere alterius voluntatem dubiam ex probabilitibus conjecturis. Unde authentica interpretatio proprie talis non est, sed doctrinalis, quæ de legislatoris mente explicanda sollicita est. Executiendum autem hic erit, de quam interpretatione JCtus agat in nostra lege. De authentica illam intelligi non posse apparer ex eo, quod illa proprie non sit interpretatio, nec legislator sibi legem præscribit, dum ostendit, quomodo hoc vel illud interpretandum, sed judicibus & JCtis, qui leges interpretari & applicare debent. Lex vero per interpretationem authenticam exposita, est nova lex, adeoque non interpretatio, nec ad leges interpretationis doctrinalis adstricta, nec a JCtis imitanda, sed sape hic valet: lex dura, ita tamen scripta. Remaneat ergo, doctrinalem hic intelligi debere. Quod vel exinde ostendi potest, quia hoc exemplum referre Doctores solent ad interpretationem extensivam; hæc vero non est species authenticæ, sed doctrinalis interpretationis. Imo & Jovolenus JCtis expresse ostendere voluit, quod nam sit officium JCti in interpretandis beneficiis principalibus, inde di it: *Interpretari debemus.*

§. XIX. Denique rō quam plenissime ostendit, quomodo hac interpretatio doctrinalis sit instituenda. Scilicet ut explicat Feltmann in Comm. ad cit. I. n. 3. largissime ut non ad diminutionem, sed ad augmentum convertatur, seu, ut verba legis extendantur ad casus similes. Cum vero in beneficiis interpretatio ita extendatur & sic ve in tertii vel in ipsis principiis præjudicium

judicium vergat, quāritur in cuiusnam præjudicium hæc interpretatione quam plenissime fieri debeat? In eo quidem omnes convenire videntur, in præjudicium tertii interpretationem fieri non debere, cum princeps non præsumatur voluisse quenquam lädere per suum privilegium: Hinc si immunitatem concedat alicui, ejus portio non universitatem gravare, sed in ipsis Principis detrimentum imputari debet. *Conf. Carol. Tapia in Comm. ad l. rostram in Rubr. c. 6.* hinc, si facienda, esset quam plenissime in beneficiis principalibus interpretatio, in solius concedentis præjudicium esset facienda.

§. XIX. Ex hisce ita per membra explicatis status controversiarum recte formandus. Quaritur videlicet: Num, si princeps summus vel status imperii alicui beneficium vel privilegium aut aliam gratiam indulserit, ibi locum habere possit doctrinalis interpretatio, & quidem extensiva in præjudicium ipsius concedentis imperantis vel principis? Et hoc jara omnes cum suo Javoleno affirman. Rationem in promtu habent, quam deponunt plerique ex classe de favorabilibus & odiosis. Satis utique certum est, inquit Feltmann ad cit. l. 3. n. 3. quod sit res favorabilis, neque ita contra voluntatem principis, ejusve, qui alteri beneficium concessit, peccamus, quin magis eam adjuvamus, quando illam plenissime interpretamur, c. dia de R. Lin. Ut vero hujus regulæ veritatem eo melius ostendant, ulterius provocare solent ad l. 26. C. de donat. int. V. & U. ubi disponitur, quod donationes Imperatorum opitulatione quadam exinfuscis minime egeant, velut in l. 34. pr. C. de donat. dicitur, quod Imperiales donationes merito indignantur sub observatione monumentorum fieri; culmen enim debent habere præcipuum liberalitates principales. l. 7. C. de bon. quæ liber. vid. Car. Tapia ad l. 3. de Confit. Princeps in Rubr. c. 7.

§. XX. Certe, si nullo firmiori fundamento regula hæc nititur, Carolus Tapia non opus habuisset, tanto apparatus commentarium in illam legem conscribere. Nam quod profunda-

fundamento adducit Feltmann & approbat Carol. Tapia *cit. l.* de favorabilibus & odiosis, id leve est & valde putridum, cum interpretatio in odiosis & favorabilibus juxta communia principia sit valde lubrica, uti ostensum a Dn. Praef. in *Jurispr. Dro.* *l. 2. c. ult. in append.* Sit favorable beneficium respectu ejus, cui concessum, est tamen simul odiosum respectu concedentis, in cuius detrimentum sit interpretatio. Ergo quod felix faustumque sit, habemus casum, ubi una eademque res juxta hæc principia est extendenda & restringenda. Neque plus præsidii Regulæ nostræ afferunt Leges *s. 19.* citatae. Nihil enim aliud dicitur in his textibus, quam donationes Principum non subiacere legibus Civilibus, adeoque insinuatione non indigere. At quo modo inde argumentum fieri potest pro extensione beneficiorum.

§. XXI. Firmius fundamentum latere videtur in eo, quod Imp. Anastasius in *l. 2. C. de præpos. agent. in reb.* expresse dicat, *per absurdum per quæmerarium esse, liberalitatem Princis quamquam astuta interpretatione non ad augmentum antevi- rum privilegiorum sed diminutionem convertere concedi.* Sed videtur tantum. Primo enim Imperator ipse hic interpretatur privilegium. Ast in nostra Regula sermo est de doctrinali interpretatione. Deinde non quæstio est in *cit. l. 2.* de interpretatione beneficiorum extendenda, sed de non diminuendis privilegiis per astutam interpretationem. Sed ita ad nostram regulam non spectat. Denique non aliud innuunt ista verba, quam non exponenda esse privilegia in præjudicium tertii.

§. XXII. Ergo cum fundamentum nullum certum hic invenire possimus, in scenam producamus casus, quibus suam Regulam confirmare student Doctores. Demus autem ob aratrem primum locum venerandæ Glossæ, quæ ad *cit. l. 3. verb.* beneficium multas coacervavit leges, quo magis veritatem hujus regulæ stabiliret. Agite audiamus sapientiam

C

Glos-

Glossa: Si princeps, ait, concessit domum, adjacentia quoque concessisse videtur arg. l. 3 ff. & l. subs. de pen. leg. Certe argumentum ex LL. cit. valde imbecille est, & nihil aliud inde evincitur, quam quod accessoria cum principalibus transerant, ast ibi non est interpretatio extensiva. Deinde quæstio præjudicialis est, an adjacentia sint accessoria domus. Quod si enim dubitandaliqua ratio subsit, nego assertionem Glossæ, neque argumentum ex istis legibus agnosco. Fortius pro hoc casu adduci possit argumentum ex l. 2. C. de bon. vacant. ubi Imperator ita: Si quando abdortiones nostræ continent possessionem sive domum quam donaverimus integro statu donataam, hoc verbo ea vis continebitur, quam ante scribebamus & cum adjacentibus & mancipiis & pecoribus & fructibus & omnijure suo, ut ea, quæ ad instructum possessionis vel domus pertinent tradenda sint. Hic exemplum adesse letantur dissentientes, quod illam regulam confirmet. Facit enim, inquit, Imperator quam plenissime hic interpretationem in donata domo, dum ostendit, quam plurima accessoria quoque transire debere, cum tamen alias donationes esse deberant stricti juris l. 25. in fin. de probat. l. 35. §. 3. de donat. Sed licet adverarios proprio jugulare gladio. Si Imperator hic facit interpretationem, ergo ad authenticam exemplum spestat, non ad doctrinalem, de qua nobis sermo est. Princeps enim beneficio suo modum ponere potest l. 191. de R. I. Ast idem Doctoribus seu Jctis nos est permisum. Deinde ne quidem interpretatur hic Imperator quam plenissime, sed rantium declarat, quid intelligendum sit, quando Princeps alicui donet non simpliciter domum, sed domum in fructum, vel integro statu mit volliger Meublirung oder in dem Stand, da Er, der Fürst, es von dem, der keine Erben nach sich ließ, bekommen hat, cum hac vox diversissima utique possit comprehendere: unde ex declaratione proferentis dependet, quid hac voce indigitare voluerit. Nec obstat, quod alias donatio

donatio strictissimæ interpretationis sit, adeoque hic latissime intelligi videatur, hoc enim suppositum falsum jam remotum est, quasi hic ageretur de interpretatione extensiva. Sic quando JCtus in *I. 20. de instr. vel instrum. leg. explicat*, quid sub instructo fundo contineatur, & eadem fere recenset, quæ Imperator in *I. 2. cit.* non dici potest, illum interpretatione latissima vel extensiva uti. Quin potius quæstiones tales plane non pertinent ad interpretationem doctrinalem, nec dignæ sunt, quæ JCtis proponantur. Hinc neque Scævola ad eam responderet, sed simpliciter dicit: *Non de jure queritur d. I. 20. in fine.* Est autem eadem ratio quæstionis ibi proposita cum ea quæ est in *d. I. 2. eod.* sive enim dicam: Fundum uti posedi *I. 20.* sive Domum in integro statu, perinde est. Utrobius magis de facto, quam de jure queritur. Potuisse itaque Gotfredus in *not. ad cit. I. 2.* supersedere sua ratione decidendi, quasi decisio hujus legis esset petenda a latissima beneficiorum Principis interpretatione. Neque etiam simpliciter concipi potest conclusio, quam ex hac lege alias formant, scilicet Castro Principe donato, jurisdictionem omnem & merum imperium donatum intelligi Bart. in *I. 1. §. 1. ff. de Off. Pref. Urb.* Unde alii hic diserte regulam nostram limitant, quod talis donatio seu extensio sit damnosa Reip. Perez. in *C. de bon. vac. n. 4. seq.* Applicemus modo hoc ad concessionem feudalem, ubi certum est, assertionem hanc falsam esse, cum jurisdictione a feudo separata esse possit & aliis castrum, aliis jurisdictionem habere possit. Et licet vel maxime cohæserit castro merum imperium vel jurisdictione, tunc quidem transire ad Vasallum potest per consequiam vid. Illustr. Dn. Stryk. exam. *Jur. Feud. c. 8. qu. 15.* non exclusa tamen Superioris declaratione, an etiam sub concessione castri voluerit jurisdictionem & merum Imperium transferre, qua facta jam authentica erit interpretatio, pon doctrinalis.

§. XXIII. Verum melius se invenisse ad nostram legem exemplum putat Glossa inquiens: *Concessum est Ponticis, ut filii matres sequantur. Large interpres, ut etiam filii legitimis sequantur.* Videlicet privilegium, seu ut dicitur in l. 1. §. 2. ad Munic. beneficium hoc Pompejus Magnus Ponticis concesserat, quod quidam restringere volebant ad solos vulgo quæsitos, refutati tamen a Celso. Glossa tamen sui forsan immemor in cit. l. 1. aliam decidendi rationem ex ipsa lege format, eamque sine dubio meliorem. Videlicet qui privilegium alicui dat, aliquid singulare devians a jure communis concedere voluit. Quando itaque sub hoc privilegio Ponticis dato, tantum comprehendere vellimus vulgo quæsitos, nihil a jure communis diversum datum intelligi posset, cum jure communis certum sit, vulgo quæsitos nullam aliam quam matris conditionem sequi posse l. 24. de Stat. hom. Ex quo Celsus infert, Privilegium Pompeji non de vulgo quæsitis disposituisse, sed de legitimis, de quibus dubium utique erat, & ita jam privilegii naturam habet. Quis itaque diceret, hic interpretationem extensivam fieri? cum non fiat extensio a vulgo quæsitis ad legitimos, sed ex natura privilegiorum Celsus interpretetur, non alios ad privilegium hoc pertinere quam legitimos, cum illegitimi ex juris communis dispositione sequantur matrem. Ex quo hactenus Glossa ad cit. l. 1. recte infert, supervacuum esse precibus impetrare quod jure communis conceditur.

§. XXIV. Adhuc ineptius a Glossa adducitur l. 43. pr. de vulg. & pup. subst. ubi casus de patre filium mutant puborem habente, qui ex speciali privilegio a principe impetraverat, ut muto ei substituere licet, quod jure Digestorum specialiter impetrari debebat, secus ac jure Codicis l. 9. C. eod. Quærebatur si postea muto nascetur filius, an testamentum hoc ruptum intelligi deberet? Ubi Ictus id concedit, ex ratione, quod verosimile sit: Principem de hoc casu non cogitasce.

gitasse. Restringit ergo hoc casu JCrus beneficium, non extendit quam latissime. Quomodo ergo ad nostram legem exemplum potest præbere. Imo si re&te considero textum, parum abest, quin tota regula de interpretatione beneficiorum largissima exinde everti possit, unde ad tertiam partem hujus disputationis hanc legem reservernus.

§. XXV. Plane vero ad beneficia Principalia non spectat *l. 9. C. qua res pign. oblig.* ubi Imperatores tantum disponunt de questione, an si res simpliciter in instrumentis Contractuum exprimantur, intelligi debeant non tantum praesentes, sed etiam futuræ, & decidunt, futuras quoque intelligi debere. Sed quid hoc ad beneficia Principalia? si argumentatur Glossa ad beneficia a Contractibus privatorum, ingenitem sollecitum Juridicum committit. Si argumentatur a verbis initialibus legis: *Si quis & sic quoque Principes huic legi subjicit, adhuc inepio redditur: Et quid demum dicere*mus, si in *cit. l. de beneficio Principis sermo esset?* Nihil aliud, quam tum subesse interpretationem authenticam.

§. XXVI. Placuit tamen simul Glossæ, elegantias quasdam loco declarationis hic inserere, hinc per gradus incedit, & ut ita cum illa cantemus, injungit. *Die, ait, quod in Contractibus plene interpretamur, in ultimis voluntatibus plenius, in rescriptis plenissime.* Fistula dulce canit. Sed vereor, ne Glossa in positivo, comparativo & superlativo magnum committat errorem. Quomodo plene interpretamur in donationibus, qua stricti juris sunt, quomodo in stipulationibus? vid. *l. 99. de V. O.* quomodo plene interpretarum, quando interpretatio sæpe fieri dicitur contra locatorem & venditorem? *l. 39. ff. de Pact.* De ultimis voluntatibus facilius Glossæ sententia admitti posset, quod scilicet ibi benignior sententia prævalere debeat: sed forsitan non satisfaciens alii, qui verba Testamentorum proprie semper esse accipienda, nescio, quo jure afferunt, qui error ex jure in Theologiam quoque trans-

translatus est. Sed talia minus nos tangunt, videamus solummodo, qua ratione in Rescriptis plenissime ex mente Glossa interpretetur? Provocat illa ad Nov. 22. §. 32. Sed infausto successu, quia ibi Imperator non interpretatur legem, sed plane abrogat legem aliam, nimurum l. i. C. si secund. nups. mul. Felicius forsan adducit l. 4. ff. de jure immunit. ubi quæstio deciditur, quid juris, si immunitas per privilegium alicui tributa eo jure, ut ad posteros transmitteretur, quoisque scilicet illud privilegium duret? Respondet JCetus, in perpetuum succedentibus durare. Ergo, dicet quis cum Glossa, JCetus hic quam plenissime interpretatur beneficium, dum in perpetuum succedentibus illud adjudicat. Ego vero Pauli monitum in l. pen. ad exhib. mecum omnino reputans, non oportere jus Civile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid diceretur, animadvertere, convenire, nullum plane hic video interpretationis extensivæ exemplum. Interpretatione declarativa hic JCetus ut video, dum solummodo explicat, quoisque duret immunitas etiam in posteros concepta? Et ita ex communibus regulis explicat, quinam posteriorum nomine veniant. Neque aliter decisionem formare potuisset, si consultus fuisset de fideicommisso eo jure constituto, ut ad posteros transmitteretur, vel alio jure inter privatos hoc modo constituto. Neque obstat, quod dicat, in perpetuum durare debere immunitatem, hoc enim intelligendum: quamdiu posteri adsunt. Quid, quod hæc perpetuitas valde restringatur in l. i. §. 1. ff. de jur. immun. scilicet ut immunitates eo jure datae, ut ad posteros transmitterentur, non respiciant eos, qui ex feminis nat sunt. Ergo inverti debet conclusio, ut immunitas non quam plenissime, sed quam strictissime sit interpretanda.

§. XXVII. Facit vero Glossa sibi ipsi objectionem ex l. 35. pr. C. de inoff. testam. ubi privilegium non extenditur, sed potius disponitur, ut ita exponi debeat, ne quam minimum recedat

recedat a communibus regulis juris. Ad hanc vero nihil responderet aliud, quam quod ratio habeatur in textu. Forsan sibi Glossa hic fingit exceptionem, qua tamen fingi nequit, quia regula nulla est. Deinde sibi objectionem format ex l. 2. §. 10. ff. ne quid in loc. publ. quo & spectet §. 16. ejusd. l. quæ tamen leges hoc proprie non spectant, cum saltim quæstio sit de beneficiis quam plenissime explicandis in præjudicium non aliorum sed ipsius Principis.

§. XXVIII. Transeat ergo Glossa, quæ nullum subsidium haec tenus nostræ legi attulit. Cum vero Gerhard. Feltmann, ad eandem nonnulla quoque exempla concesserit, non inutile erit illa quoque sub examen revocare. Primo ex Carpzovio adducit sequentem casum. Quæreret videbet: Si princeps salicui clienti tres habenti filias concederet, ut credito decem millium possit onerare beneficium seu fundum, postea autem ille una tantum relicta sobole fit mortuus, an tunc huic tota debeatur summa? Quod quidem ex nostra lege Carpz. 2. decis. 134. n. 18. seq. simpliciter affirmat. Distinguit ipse Feltmannus n. 5. utrum simpliciter id indules-
ri Princeps, & sic admittit Carpzovii sententiam: ast si no-
minatum adjecerit, se in id consentire, ut Filibitis de dote
prospectum sit, parensque in precibus hoc allegaverit, tunc
contrarium statuendum vel saltim principis esse ea de re sta-
tuere l. 19. de R. 3. Verum hac distinctione totam regulam
ipse Feltmannus evertit. Nam, si simpliciter hoc conces-
sum, h. e. absque memoratione filiarum & absque earum
intuitu, ratio nulla dubitandi supereft. Neque tunc sit inter-
pretatio exrensiva, cum statim ab initio simpliciter hoc con-
cessum sit. Quodsi itaque regulæ nostra ullum supereftset
fundamentm, certe ad alterum casum distinctionis debuif-
fer applicari, quod tamen recte negat Feltmann. Quod ve-
ro ea de re Princeps postea aliter statuerit, habebimus exem-
plum auctoritatem interpretationis, quæ tamen a regula nostra
est aliena.

§. XXIX.

§. XXIX. Audiamus aliud exemplum ejusdem. Prin-
teps, dicit n. 6. alicui collegio aut singulari persona concessit jus le-
gitimis natalibus homines restituere, hoc non restringimus ad eos,
qui ex concubina nati sunt, sed extenditur ad eos, qui ex adul-
terio procreati sunt. Ast vero de hac decisione valde dubito.
Cum enim adulterini regulariter legitimari nequeant, sed di-
spensatio tantum in eis locum habeat, per c. venerabilem 14.X.
qui pl. sint legir. hanc vero regulariter Princeps sibi reserva-
re soleat, nec facile comitibus Palatinis concedere: Fœrster
lib. 6. de success. ab intest. c. 37. necessario inde sequitur ut le-
gitimandi jus in diplomate Comitibus Palatinis concessum
non possit extendi ad dispensationem. Unde & solet specia-
tum hoc in diplomatibus exprimi vid. Ill. Dn. Stryk. Us. Mo-
dern. tit. de his qui sui vel. aljur. sunt §. 15.

§. XXX. Ulterius n. 7. ex nostra lege sequentem eruit
conclusionem: Quando alicui civitati datum est privilegium,
ne in qualicunque crimen publicatio honorum habeat locum, tunc
nec irrogabitur, si crimen perduellionis sit a nonnullis civibus ad-
missum, bique tumultum seditionemque excitarent. Verum li-
ceat Feltmannum ex Feltmanno refutare. Concedamus
ei haec tenus, regulam nostram veram esse, tamen ipso Felt-
manno confidente n. 16. quam strictissime tunc beneficium
Principis est interpretandum, quoties larga interpretatio
publico obest. At quid magis publico obesset, quam si pu-
blicationem hoc in casu locum non habere diceremus? De-
inde nota est regula juris, quod specialis dispositio non tolla-
tur per generalem posteriorem. Hinc ubique crimen per-
duellionis exceptum intelligitur ob ejus enormitatem, licet
in genere de omnibus delictis dispositum videatur. Adeoque
nec hoc exemplum hoc referri meretur. Denique posito
decisionem Feltmanni esse veram, tunc illa dependeret vel
ex principis declaratione; ast sic foret authentica hucque non
pertinet et: vel ex judicis subalterni interpretatione, verum
tunc

tunc obtineret regula vulgata, generalis Dispositio generaliter interpretanda, nec præcise ad nostram confugiendum es-
set regulam, pertineret enim tunc decisio Feltmanni ad in-
terpretationem declarativam, non ad extensivam.

§. XXXI. Sed et si genri, pergit n. 8. alicui securitas ab ordinibus universis Belgicæ fœderatæ fuerit concessa, eaque deinde, cum in ditionem hostis pervenisset ille populus, sit confirmata, tunc si dem ei servare debemus, nec bona ejus capere eo colore, quod hosti sit subdita. Hic sane conjectura assequi non possum, quomo-
do hoc exemplum ex nostra regula decisionem capere que-
at. Fides enim ei est servanda excommunicibus principiis, ne-
que loquatur de beneficio principis, neque de interpretatio-
ne extensiva, neque de casu ullo modo dubio. Rectius huc quadrare videtur illud exemplum, quod n. 9. afferit inquiens: *Sin nobilibus sit indulatum, ne ob aliquod crimen sola per duelionem ex-
cepta, plecti possint alia pena, quam capitii & octoginta aureorum,*
tunc hoc ad eorum uxores etiam pertinebit privilegium, eique lo-
cus erit, licet non queratur de delicto quod morte punitur. Sed
primo inquirendum forer, quomodo hoc privilegium esset
conceptum, an scilicet loqueretur in genere de nobilibus,
tunc sine dubio foeminae nobiles comprehendendi quoque ipsa
interpretatio declarativa dictata, cum haec locutio utriusque
sit communis, & ordinarie vox generaliter posita utrumque
sexum denotet *I. i. ff. de V. S.* Si vero privilegium tantum men-
tionem faceret virorum nobilium, tunc major superesset ra-
tio dubitandi, an ad eorum uxores extendi deberet. Id quod,
si fieri posset, tunc id non fieret ex nostra lege, sed quia jam
antea lex declarasset generaliter, quod privilegia virorum
regulariter uxoribus quoque communia esse debeant, quæ
lex si cessaret, etiam extensio cessare deberet.

§. XXXII. Mitto reliqua ex Feltmanno sub censuram re-
vocare, cum facilia sint, ut quilibet facile dijudicare possit, il-
la ad propositam regulam non pertinere. Ne vero regula

ista conqueri possit, indefensam esse rejectam, demus adhuc alium ei advocatum. Et quem magis ei dabimus quam Carolum Tapiam, qui integro Commentario illam illustrare & corroborare voluerit. Quoniam vero brevibus inclusum me novi limitibus, in compendio saltim potiora exinde adducere & examinare placet.

§. XXXIII. Constituit autem certa capita, in quibus beneficia principalia latissime interpretanda esse docet. Primo capite evincere studet beneficium *Principis latissime esse interpretandum quoad verba*, adeo ut a stricta verborum significacione sit recedendum, itaque verba intelligenda, ut *citra* jus commune proprium aliquid de novo concedatur. Posterioris hoc dubio carerit, cum privilegiorum & beneficiorum natura hoc exigat, ut prater vel contra jus commune quid indulgeatur, adeo ut ita quoque interpretatio facienda: ast id non evincitur ex nostra regula, quasi beneficium latissime interpretari debeamus. De priori quoque audiamus exempla. In beneficiis Principum dictionem SEV non distingue, sed augmentativa interpretandum esse vult. Ut ecce: *Data potestate adificandi molendinum SEV domum, intelligitur potestas data utrumque adificandi.* Rationem non alias substituit, quam nostram regulam. Sed Alexandri autoritas, quam pro se adducit, nobis tanta non est, ut credamus, principem hoc casu permissurum, ut utrumque adificare queat. Noluit enim utrumque concedere, sed disjunctive tantum concessit. At, dicis, benigne ita interpretandum est. Interm tamen nihil alienum a mente Principis asserendum. Ponamus, Principem alicui concedere jus molendinum extenuandi seu jurisdictionem. *Quis assereret, utramque illum ambire posse?* Saltem declarationi Principis, qui verborum suorum est optimus interpres, hoc foret relinquendum: ast ita foret interpretatio authentica, qua cum nostra regula nihil habet commercii.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Concludit quoque P. I. c. i. n. 8. exinde, verbaenunciativa Principis ex certa scientia proleta dispositionem inducere, ut se Rex alicui concederet castrum vel fundum in Baroniam. ex certa scientia id faciens, (h. e. ut ego intelligo, optime sciens, vasallum non esse Baronem) concessionarius ex eo erit Baro. Verum ista sententia senioribus Feudistis vix se probabit. Certe Illustr. Do. de Rhetz, ad t. F. 14, p. 412. diserte docet: Regalia feuda sola illustrem dignitatem non tribuere, eo quod titularis illa sit, h. e. illius dignitatis titulus specialiter ab Imperatore conferatur. Cum itaque Regalis dignitas non conferatur, nisi ex speciali concessione Imperatoris, sola investitura de feudo regalietiam ex certa Imperatoris scientia facta dignitatem ipsam Vasallo non tribuet. Et exempla testantur, dari, qui de Comitatu & Baronatu investiti sunt, non tamen propterea sunt Comites aut Barones, sed tantum Inhaber der Grafschaft Ziegl. *de jure Maj. t. c. 28. §. 27.* Itaque cum Baro a Pappenheim ab Imperatore vacante Landgraviatum a Stulingen impetrasset, & exinde se Landgravium nominasset, id illi severe a Cesare inhibitum fuisse testatur Iter de Feud. Imp. c. 3. f. 9. Quodsi forte Tapia supponat casum, quod feudum ipsum antea Baroniam non fuerit & hoc princeps sciverit, post concessionem vero illam, feudum pro Baroniam sit habendum, nullum quidem erit dubium, sed & casus tunc erit impertinens, cum hic nulla sit interpretatio latissima vel extensiva.

§. XXXV. Valde vero limitat Tapia n. 14. suam sententiam, quod verba enunciativa ex scientia certa proleta tunc demum dispositionem inducant, scilicet quando ex conjecturata Principis voluntate hoc colligi potest? Quomodo vero id colligi potest ex conjecturata ejus voluntate? Certe, quo demum nos verramus, nihil aliud inde efficiemus, quam vel ex aliis regulis

lis bona interpretationis hoc esse deducendum; & sic regula hæc inanis est, vel relinquendum hoc esse declarationi principis, ut is suam voluntatem declareret. Quod si fecerit, applicatio nostræ regulæ cessat. Si non fecerit, parum proficit fundamentum ex regula hac positum, cum Princeps semper opponere queat, se optimum suorum verborum esse interpretem & voluntatem conjecturataam per expressam tolli.

§. XXXVI. Adeo autem porro putat n. 23. verba Principis late esse interpretanda, *ut feidis, in quibus alias stricte fieri deberet interpretatio ampla fieri debeat declaratio.* Ut si feudum sit concessum pro se & cui dederit, quo ipso putat, datum esse potestatem libere alienandi, it. si concessum sit feudum pro se & heredibus quibuscumque, in quo omnes heredes succedere, etiam inhabiles, existimat n. 40. Verum ante omnia foret inquirendum, an, si hujus regulæ aliquis inesset usus, etiam materiis feudalibus applicari possit. Dicuntur quidem feuda beneficia: sed non eo sensu, quo in nostra l. 3. veniunt, cum potius obligationem mutuam involvant, & sic ab ultra que parte quid necessario praestari debeat, quale quid de beneficiis proprie talibus afferi nequit. Deinde interpretatio Hispani nostri nimis altos habet passus. Falsum enim est, quod feudum concessum pro se & cui dederit operetur facultatem libere alienandi. Pacta enim contra naturam feudi adjecta sunt stricte interpretanda & ultra expressum non operantur. Et cum vasillus hic singularem & extraordinariam sectetur utilitatem, merito contra eum fieri deberet interpretatio, quod non fuisset locutus apertius. Non dubitamus iraque, quin adhuc consensum Domini directi in alienatione adhibere teneatur Rosenthal de feud. c. 9. qu. 14. Gothofr. Anton. disp. Feud. l. §. 8. lit. d. Alterum exemplum haec tenus quidem admittisano sensu potest, sed ratio decidendi non est eruenda ex nostra regula, quod inde patet, quod item etiam in feidis aliis non a Principe

cipe, sed a privato concessis, locum habeat. Nihil ergo singularare in feudis sub hac clausula a Principe concessis constitui potest. vid. illustr. Dn. Stryk, *Exam. Jur. feud. c. 4. qu. 45.* & *47.* Struv. *Synt. jur. feud. c. 4. apb. 13. n. 4.* Ut taceam, falso sum esse, quod in Feudis debeat regulariter fieri stricta interpretatio. Nam nec hoc est universalē.

§. XXXVII. In altero capite concludit, beneficium Principis latissime interpretandum esse quoad res, atque hoc resert dispositionem *I. un. C. si. liberal. Imper. soc.* quod scilicet donata ab Imperatore aliqua re duobus, altero eorum absque herede decedente, ejus portio ad alterum pertineat. Novi hanc legem communiter pro illustratione nostra regulæ adduci, sed valde impertinenter. Nam dispositio *I. un.* non considerari potest, ut interpretatio quædam, sed nova lex est, & si vel maxime interpretationem contineret, non tamen esset doctrinalis, de qua unice hic agimus, sed authentica. Ast, inquis, possum tamen ex hac *I. un.* ad similia procedere, & ita ex mente Imperatoris in similibus casibus beneficium ejus extendere. Sed responsio facilis est. Cum enim per hanc *leg. un.* jus accrescendi inducatur inter vivos, hoc vero unanimi omnium consensu regulariter inter vivos locum non habeat, obstaret sine dubio hanc legem extendere conantibus *I. 14. de LL.* quod scilicet, quæ contra rationem juris sunt recepta, non sint producenda ad consequentias.

§. XXXVIII. Quod porro de concessione castrorum simpliciter a Principe facta addit *n. 6.* ad hoc jam supra *§. 23.* responsum, & sane falsum est, quod noster asserit, quasi idem esset, sive Princeps alicui castrorum simpliciter concederet, sive cum pertinentiis. Posteriori casu concedimus, plura sub illa clausula contineri, & sic ad Vasallorum transire, non ex nostra regula, sed ex communi pertinentiarum natura, cum eriam in venditionibus privatorum cum hac clausula, idem obtinere certum sit, ac-

cessorium enim sequitur suum principale. Limitat vero in seqq; adeo suam regulam, ut parum ex regula tradita superesse videatur, imo tam incertus in decisionibus est, ut fere Scpticorum more nihil decidat.

§. XXXIX. In tertio capite beneficia Principis latissime interpretanda esse quoad personas evincere studet. Deducere id conatur ex l. 7. inf. ff. de Senat. ubi quæstio instituitur, an si pater amiserit dignitatem Senatoriam ante conceptionem filii, & ita natus quasi Senatoris filius haberi non possit, quasi nepos tamen Senatoris avi intelligi debeat? Respondet JCtus: *magis est ut avi dignitas ei potius proficit, quam ob sit casus patris.* Rationem decidendi omittit Ulpianus, quam tamen Tapia ex nostra regula suggerit. Verum admodum impertinenter. Propositum scilicet JCtus *in cit. lege* §. 2. *casum*, ubi quis & avum & patrem Senatorem habet. Jam supponi ex mente JCti debet, filium Senatorem adhuc fuisse in potestate sui patris, & ita ratio decidendi inde formanda. Igitur hæc est genuina explicatio verborum finalium: *ut avi, in cuius potestate nepos natus incidet, potius ei dignitas proficit, cum a patria potestate dignitas in eum, qui in potestate tali erat, propagaretur l. 5. ff. eod. quam ob sit casus patris, in cuius potestate eo tempore non erat.*

§. XL. Parum quoque præsidii pro autore est in l. 8. pr. C. de quæstion. ubi privilegium militibus concessum extenditur etiam ad filios militum, id quod tamen fit per interpretationem authenticam, non doctrinalem, adeoque huc non spectat. Eadem quoque responsio quadrat ad l. 12. pr. C. de pen. ubi Imperatores Decurionum privilegia & filiis attribuunt: ut & ad l. i. C. de privil. cor. qui in sacr. palat. milit. ubi beneficium Palatinis aliisque ibi recentis datum ad filios quoque eorundem atque nepotes ipso ordine sanguinis applicatur, quo & ulterius referri posset l. i. C. de privileg. Scholar. ubi pri-
vilegium Senatorum ad domesticos eorundem extenditur.

§. XLI.

§. XLI. Ulterius jam ex sua regula infert Tapia *cit. cap. 3. n. 16.* concessio castro alicui & filiis etiam ad nepotes extendi. Cum enim, inquit, in ultimis voluntatibus appellatione filiorum & nepotes contineantur: multo fortius id admittendum erit in concessionibus Principum, quæ latiorem quam ultimæ voluntates recipiunt interpretationem. Sed ego ex hoc ipso argumento initio concluso, nihil singulare in hoc casu esse, nec ullam singularem vim & operationem regulæ nostræ, cum idem casus etiam aliunde possit demonstrari. Quamvis enim aliquando nomine filiorum nepotes non venniant, ut appareat ex §. f. *J. Qui test. tut. dari poss.* id tamen rarissimus est, & regulariter nepotes subintelliguntur, quod appareret ex generalibus verbis *I. 84. I. 201. I. 220. §. 1. ff. de V. S. I. 59. de R. N.* In genere deinde nec universaliter verum est, quod hic assertio Tapia. Sed res plane cum distinctione ex alia regula juris defumta est decidenda. Scilicet respiciendum esse puto ad substratam materiam, an agatur de tali negotio, quod ordinarie & regulariter ad omnes descendentes transit, ut hodie est feudum, Emphyteusis, nobilitas, contractus, &c. & ibi sub filiorum appellatione continentur nepotes: an vero de tali, ubi ob rationem legis in nepotibus cessantem, ibi non possunt comprehendendi & ibi stricte capienda haec appellatione, quale exemplum in *I. 8. pr. de Excusat. tut.* Igitur assertio Tapiae quamvis in hodiernis Feudis valeat, non tamen valuerit in antiquis Feudorum temporibus, ubi feuda nondum erant ad heredes transitoria.

§. XLII. Quæ porro *n. 31. segg.* adducit, quod immunitas concessa alicui & posteris per beneficium principis, extendatur ad feminas, quod beneficium in dubio transfat ad heredes, & sic magis reale qm personale præsumitur, revera petunt id, quod est in principio. Nam quod assertionem ipsam attinet, ea valde dubia reddi posset ex *I. s. in f. ff. de immun.* ubi non distinguuntur ibi, an immuniras sit concessa per privilegium an beneficium. Quod autem

24 DISP. JURIDICA, DE INTERPRETATIONE

autem concernit rationem assertionis, ea universalis non est, sed omnia dependent ex voluntate & declaratione concedentis, & aliis circumstantiis. Sic quando Princeps alicui indulget gratiosam pensionem annuam, Gnaden-Gelder, quis diceret, hoc beneficium etiam ad heredes extendi debere? Si privilegium legitimandi alicui a Principe conceditur, num hoc ad heredes extenditur. Taceo, quodsi maxime assertio Tapiae valeret, non ramen esset interpretatio extensiva sed declarativa. Nam posterorum voce etiam sc̄eminas comprehendunt.

§. XLIII. Sed transeamus cum autore ad caput quartum, ubi extensionem beneficiorum principalium quoad tempus considerat, idque tribus modis fieri posse ostendit. Videlicet initio infert ex nostra regula, extendi privilegium ad futura. Veluti privilegium exemptionis concessum Ecclesie Civitatis, etiam ad postea exstructas extenditur: Item concessione immunitatis etiam extendi ad novam impositionem, imo ad futura bona, imo privilegii unius civitatis alteri concessis intelligi etiam concessa futura. Verum haec conclusiones sicuti ex lubrico fundamento affirmantur, ita e fortiori negari possunt. Nam quod ultimum attinet, dici illud solet privilegium ad instar ex l. 34. C. de Episc. & Cler. & in Academia Julia in specie usu venit, cui sunt concessa privilegia ad instar Bononiensis. Hic vero recte afferit Hahn ad Wefenb. de Constit. Princ. n. 2. non augeri privilegia Julie, sicut vel maxime Bononiensis per novas concessiones privilegii angeatur, quia, ut ait Hahnius, hoc privilegium datum est ad imitationem ejus, quod jam existit, non ejus, quod futurum est. Falsum quoque, quod immunitas generaliter concessa etiam extendatur ad futura extraordinaria onera vid. Klck. de contrib. c. 14. n. 60. Imo quod de exemptione Ecclesie Civitatis data inseritur, multa distinctione opus habet. Quid enim si tantum dictum, quod Ecclesiae illius Civitatis debeant esse exemptae, certe hoc intelligendum tantum de praesentibus, cum restrictam hoc casu habuerit princeps intentio nem

ad illas, quæ jam actu existunt. Sunt enim ordinarie exemptiones & immunitates stricte interpretandæ, cum rationi publicæ obstat & communiter alios gravent.

§. XLIV. Secundo extensionem privilegiorum quoque fieri afferit ratione temporis, *uero* sumere debeat vires, adducens communem quandam opinionem, quam tamen ipse rejicit, adeoque nihil est, quod hic pro illustratione sua Regula auctor afferat. Ergo transeamus ad tertium casum, quod scilicet ratione durationis hic quoque interpretatio extensiva locum habeat. Scilicet regulariter privilegium esse *perpetuum* afferit, sed sine omni fundamento. Distinguere enim debebat inter realia & personalia, quorum illa quidem perpetua dici possunt, sed non ex ratione legis nostræ, sed quia tunc rei ipsi inhærent, & sic ut jura alia realia ad quemcunque transeunt possessorem. Aliud vero in personalibus. Quod porro addit, hinc esse, quod privilegium re integra non expiret morte concedentis, id multis etiam sub limitationibus intelligendum. Quid enim si tantum ad beneplacitum concessum? Quid si successor succedat non jure hereditario sed proprio?

§. XLV. In *quinto* capite auctor noster enucleat, quomodo beneficium Principis quam plenissime interpretari debeatur quoad locum, putatque id satis evinci posse ex *l. i. s. 4. ff. de offic. Praef. Urb.* ubi præfectura urbis Praefecto commissa ita extenditur, ut cognitio quoque ejus ad eum pertineat, si quid intra centesimum lapidem admissum sit. Verum non respergit Autor ad verba initialia hujus legis, ubi provocatur ad Epistolam Divi Severi, qui ipse potestatem Praefecti tam late extendit, ut non tantum finibus solius urbis concludatur, sed quoque extra urbem intra Italiam. Adeoque & hoc exemplum *huc* impertinens est, tanquam interpretationem authenticam continens. Nihilominus tamen inde concludit, quod potestas faciendo aliquid in civitate etiam extendatur ad suburbia & privilegium concessum castro ad villam vicinam. Sed nihil

nihil falsius, si hæ conclusiones ita generaliter accipientur. Aut enim suburbia sunt pars ipsius Civitatis principalis, aut non sunt. Si pars sunt, tunc autoris sententia tolerari potest, sed non ex regula 1.3. de *Const. Princ.* sed ex vulgatissimo canone, quod pars sequatur naturam totius, cui & totum concessum, eidem etiam singulæ partes concessæ videntur. Si autem non sunt pars ipsius Civitatis, sed peculiarem constituant civitatem, peculiarem jurisdictionem habeant, & peculiare nomen, tunc sententia Autoris nostri foret infinita. Idem judicium esto de altero casu. Illud vero exemplum, quod de exemptione a jurisdictione ordinarii toto hoc capite tractat, dum inquirit, an profit adhuc ei si delinquat, ita per infinitas limitaciones & distinctiones enticlear, ut nullus casus in toto illocapite deprehendarur, qui ex nostra regula possit decisionem capere, adeoque, ne tardium B. L. faciamus, in istis examinandis tempus non teremus, quippe a nostro instituto alienissimis.

§. XLVI. Tandem cap. 6. ultimum addit membrum, ubi beneficium interpretandum esse latissime docet, quoad solennitatem & validitatem, ac omnia ea, quæ beneficii favorem respiciunt. Verum hic multa conglomerat, quæ huc nequam referri possunt. Sic inde infert, licet alias pater, concedens filio liberam administrationem peculi, non videtur donationem permittere, in filiis tamen Regum cœterorumque Principum hoc non observari. Sed primum inquirendum fore, quale peculium filii Regum haberent, an tale, quale jus Romanum constituit? Forsan Reges ipsos juri Romano subjiciet & sic controversias cum filiis suis inde decider. Posito vero, jus Romanum de peculiis liberorum disponens applicari posse Principum vel Regum liberis, quomodo tunc casus hic quadraret ad nostram legem, ubi de beneficiis Principum agimus. Num forsan concessionem liberae administrationis in peculio ad illa referes? Ast ita Princeps non consideratur ut princeps, sed ut pater, & ita foret beneficium paternum non Prin-

principis, de quo solo loquimur. Reliqua, quæ huc affert, ejusd. farinæ sunt, veluti quod princeps de honestate non debat detrahere legitimam, quod tutori Principis non sit prohibita donatio, quod in nobilibus donatio præsumatur, quod inter Principem & uxorem donationes validæ sint, quod insinuatio in principum donationibus non requiratur, &c. Quorum enim hæc? Non enim video, quomodo ullo modo hæc ex nostra regula decidi queant.

§. XLVII. Quæ cum ita sint, varie, ut ex tot difficultatis bus se Doctores extricent, hic distinguere solent. Carpz. *Jurispr. Eccl. lib. 1. dec. 217. n. 8.* distinguit inter ea, quæ expressa & quæ non expressa. In illis latissimam admittit interpretationem: in his vero strictissimam. Quodsi per illa quæ expressa sunt, intelligat extensionem in ipsis legibus & privilegiis jam comprehensam, ut plerique casus a doctoribus traditi hoc respicere videntur, rursus responsio parata est, quod scilicet tunc vel nulla regula interpretationis sit opus, cum res nullum habeat dubium, vel quod interpretatio authentica subsit, de qua non est sermo. Quodsi vero id ita intelligat, ut ab expressis in privilegio extensio a doctoribus fieri debeat ad non expressa, tunc illa non expressa necessario continentur sub illo privilegio, aut non. Priori casu non est extensio, sed simplex declaratio, illud quoque sub privilegio necessario contineri; posteriori quidem foret extensio, sed ita falsa est assertio Carpzvii, ut haec tenus per plura exempla ostensum est.

§. XLVIII. Zcesius ad tit. de *Confis. Princ.* n. 1. distinguit inter beneficium purum, & quod derogat juri communii, ut illud late tanquam favorable sit interpretandum, hoc vero tanquam odiosum stricte. Sed fateor, me non assequi fundatum hujus distinctionis posse. Nam omne privilegium novi quid inducit, adeo suo modo jam communi derogat. Deinde, quod hic Zcesius de favorabili & odioso immiscet, non agnosco, ceu supra dictum. Porro beneficium purum est ex

ejus mente mera Principis gratia. Quis vero determinabit gratiam principis, quæ ex mero ejus arbitrio dependet, & quam princeps ad lubitum revocare potest.

§. XLIX. Ne vero videar tantum pugnare cum dissentientibus, removendo eorum assertiones, jam aliunde demonstrandum est, quod hæc regula principiis juris & rationi sit adversa. Repugnat certe rationi, per interpretationem doctrinalem velle principi modum præscribere, quoque extendi debeat ejus beneficium, cum tamen totum dependeat ex ejus indulgentia, & hinc merito ejus arbitrio relinendum, quoque gratiæ suam & indulgentiam extendere velit. Unde si vel maxime quis a tribus facultatibus juridicis & a tot doctoribus in jure celeberrimis peteret responsum, quomodo principis gratia & indulgentia esset concessa, an ad hunc possit extendi casum, & illi omnes responderent ex nostra regula affirmative, nihil prodeßent tot Jutorum & Facultatum Juridicarum responsa. Ast, dicas, valere deberent, non judicandum est, quid Roma fiat, sed quid fieri debeat. Verum heus mi amice, quis subjecit principem legibus Civilibus: posito, tuam legem famosam esse veram, est tamen lex civilis. Princeps tamen hisce legibus solitus est. Non sibi legem præscriptis; nec id ipsius voluntati consentaneum dici potest, quod absurditatem continet. Si quilibet privatus est optimus suorum verborum interpres, num princeps deterioris erit conditionis, quam quilibet privatus, ut ipsi permitti non debeat interpretatione indulgentiae aliis concessa. Deinde interpretatio præsupponit voluntatem dubiam: Ast si princeps declarat mentem suam, & indicat, gratiam suam eosque extendi non debere, cessat omnis interpretatio, cum non amplius tunc adsit voluntas dubia.

§. L. Deinde ubi concurrunt interpretatio authentica & doctrinalis, sine dubio illi posteriores partes sunt deferenda. Regulariter principalia beneficia ipsi principes interpretantur fatente.

fatente ipso JCto in l. 43. pr. ff. de V. & pup. subſt. Ergo si acces-
ſerit interpretatio doctrinalis, quod aliquando fieri posse ex l.
cit. apparet, ita tamen debet esse comparata, ut semper authen-
ticæ subordinetur. Ita enim Paulus in cit. l. procedit, ut pri-
mo permittat, esse primario respiciendm ad interpretatio-
nem authenticam, quæ si deficiat, ex regulis interpretationis
posse judicari de voluntate ipsius principis. Apparet proinde,
doctrinalem hic plane effectum non habere, niſi demum ab
ipso Principe confirmetur & approbeatur, quod ex subordina-
tione deduco. Quæ approbatio si accesserit & princeps in-
dulserit, late ipsius beneficium interpretandum esse, jam au-
thentica ex approbatione principis incipit esse interpretatio,
nec hoc spectat.

§. LI. Constat quoque ex natura beneficiorum & privi-
legiorum, quod regulariter contra juris communis regulas
quid indulgeant, cum id, quod jure communi cuique conces-
ſum, per speciale privilegium impetrari non debeat. Jam au-
tem ex l. 14. ff. de LL. evidens est, quod ea, quæ contra juris ra-
tionem recepta vel indulta sunt, non sint facile producenda ad
consequentias, h. e. non admittant regulariter & ut plurimum
interpretationem extensivam. Quomodo ergo regula esse
posset, beneficium principis quam plenissime esse interpreta-
ndum? Sed aīs, dantur etiam beneficia præter jus commune
indulta, ergo in iis utique regula nostra locum habebit. Sed
hic rurſus regero cum Celsō in l. 191. ff. de R. J. Principis esse affi-
mationem, quem modum ſui beneficii esse velit. Certe ex hoc
unico textu tota corrui regula nostra. Consulebatur scilicet
Neratius: an quod beneficium dare se quasi viventi Cæſar re-
ſcriperat, jam defuncto dedisse existimaretur? Formemus jam
reſponſum ex nostra regula: Quia principis beneficia sunt
quam plenissime interpretabda, hinc Cæſar etiam jam defun-
cto beneficium indulſſe existimandus eſt, ut ſcilicet ad here-
des tranſear, quod quaſi viventi conſeſſerat. Quid vero Cel-
ſus

Ius ad hoc? Contrarium responderet, non videri scilicet defuncto concessisse, quod ei concederat, quem vivere existimabat. Et ne videatur voluisse sua responsione hanc item decidere, submittit suam decisionem interpretationi authenticæ principis dicendo: *Quem tamen modum sui beneficii esse velit, principis existatio est.* Ergo rursus inde infero. Si principis est judicare, quis modus in beneficio alteri concessio sit habendus, sequitur, ut doctrinalis interpretatio hic modum nec praescribere beneficiis principalibus nec docere possit, an beneficia sint quam plenissime interpretanda.

§. LII. Possum & hoc addere, cum plerique sint in ea opinione, per beneficium in nostra regula tantum intelligi meritam gratiam ex beneplacito alteri indultam, haec vero ad lumen principis revocabilis sit, esse plane contra rationem, velle alterius beneficium quam plenissime interpretari, qui idem revocare potest. Et forsitan talis equiparari posset cani Aesopico, qui, dum captabat præter carnem, quam jam habebat, aliud quid, etiam id, quo jam fruebatur amittiebat.

§. LIII. Et contra hanc legem quoque communiter in praxi respondere solent doctores, licet vel maxime in theoria eam defendant. Sic quando quaestio incidit, an si princeps alicui concederet jus venandi, etiam superiorem venationem indulxisse censeatur? Quidni? Si respondendum esset ex regula nostra. Verum negativam communiter tueruntur, quod principes superiorem venationem agre soleant concedere Finckelth. obs. 41. Rosenthal. c. 5. concl. 14. n. 6. Imo si princeps concedit venationem majorum ferarum, non tamē concedere potestatem asserunt capiendi sclopetis & bombardis, sed tantum per canes & retia, quod sclopetorum sonitu abigantur, & cogantur sua lustra relinquere Carpz. |P. 3. dec. 287. n. 11. Cur itaque hic non sit interpretatio quam plenissime in præjudicium Principis?

§. LIV.

§. LIV. Similis huic est alia quæstio: an concessa jurisdictione simpliciter mit den Gerichten etiam hodie veniat merum imperium? Si ex nostra regula judicandum foret, res careret omni difficultate. Verum viri in praxi celeberrimi ordinarie contrariam amplectuntur sententiam, cum meri imperii concessio semper specialem concessionem involvat Conf. Schilt. Ex. 16. tb. 10. Illustr. Dn. Stryk. Us. mod. tit. de Juri d. tb. 13.


§. LV. Quid ergo tandem fiet de l. 3. ff. de Const. Princ. JCtis, inquis, non est permisum contra legem judicare. Nec præsumendum de JCtis antiquis, quod aliquam absurditatem commiserint in legibus explicandis, præsertim cum autoritate Justinianæ omnia approbata, & sic imperatori omnia adscribenda, cui se opponere semper nefas judicatum fuit. Et si haec tenus in praxi ab illa recessum est regula, hoc de facto & errore factum, qualia non sunt producenda in consequentiā, cum sit jus Romanum apud nos receptum generaliter. Et licet vel maxime quædam dubia contra illam legem moveri possint, illa tamen confirmatione Imperiali subsecuta cessare debent, cum sufficiat, legem esse scriptam, licet vel maxime dura sit. Hæc & similia plura in medium proferri possent a Legulejis, quibus omnia tradita JCtorum veterum aurea videntur. Sed breviter ad hæc omnia respondemus. (1) Regulas interpretationis doctrinalis non ex legibus perendas, sed ex doctrina Logica: adeoque legis officium hic cessare, cum legis sit præscribere voluntati normam, non intellectui, quomodo scilicet ex sana ratione hoc vel illud sit interpretandum. Hinc si vel maxime falsa interandi regula a JCtis fuerit adhibita, illa tamen non magis nos obligat, quam definitio Juris Naturæ, aut alia aliqua assertio contra fidem historicam aut principia philosophica pugnans. Nos quidem legibus Romanis haec tenus vivimus, sed Logicam JCtorum minime agnoscimus, nisi ubi rationi non contraria. (2) Neque hæc verba legis

legis nostræ habuerunt vim legis ratione intentionis ejus, qui protulit. Si conjecturis locus, nollem tantam absurditatem Javoleno, alias JCto eruditissimo, imputare, quasi ejus mens illa fuerit, prout communiter a Doctoribus accipi suevit, forsan regulam hanc ut rationem dubitandi attulit vel tanquam rationem secundariam, ubi non semper ad veritatem ipsam respicimus. Imo potuerunt tales circumstantia in casu ipsi proposito occurrere, ad quæ applicata regula tolerari vel exinde restringi debuisse, quæ jam a Triboniano imprudenter generaliter posita tot fluctus & dubia peperit. Hinc (3) non quam puto hanc legem esse apud nos receptam, cum nec recipi potuit, quippe falsa. Jam dudum enim rejecta est illa sententia, quasi jus Romanum quoad singula capita sit receptum, cum tantum in subsidium receptum, & sic in pluribus capitibus utsi ejusdem juris apud nos cesseret. Gloriantur Leguleji, se habere intentionem fundatam, quoties ad legem aliquam provocant, nos hanc cantilenam non agnoscimus. Et licet omnia Justinianus sua fecerit, facile quidem permettere possumus, ut etiam errores Tribonianii suos fecerit. Quid vero hi ad nos? Num & Germanorum judicia & JCti Germani omnia sua propterea facere debent? Concludimus itaque regulam hanc, quod beneficia Principum sint quam plenissime interpretanda, prout ab Interpretibus uno ore est explicata, nec haec tenus habuisse genuinum & verum utsi, nec habere posse, adeoque merito pro regula interpretandi haberri non posse.

F I N I S.



	(dasse. t. deppal.
Styk	ce que revient de pere voglians
2. / id.	de pere tenus. quod. ^{22.} Styk de pere voglians
3. / id.	de donato intre. ^{23.} / id.
4. / id.	ce entionie pere. ^{24.} / id. de egypte rebbe
5. / id.	de alayee. ^{25.} / Thomas. de filis sub dom.
6. / id.	de lice domesfido. ^{26.} / id. de filium prob.
7. / id.	de vita anteesta. ^{27.} / id. de egypte. teneb.
8. / id.	de beneficio dalecui. ^{28.} / id. de infidel. principi.
9. / id.	defacto. ^{29.} / id. de a. tione ratus.
10. / id.	ce altiore iudicij. ^{30.} / id. de boni ad lingue
11. / id.	de iudicij. ^{31.} / id. de pere obfus. et obftra. et
12. / id.	de vagabund. ^{32.} / id. ce abiyeatu.
13. / id.	de dicens volon. per St. ^{33.} / id. de pere detra. s.
14. / id.	de pere blandil. ^{34.} / id. ce resrah facita mandati iudiciale.
15. / id.	de oambat. libes. ^{35.} / id. de tunis. facit. pug. vegetalione.
16. / id.	ce tare libelloti. ^{36.} / id. per tunis. debili. et vif.
17. / id.	ce tare polioroti. ^{37.} / id. in altitud. ter.
18. / id.	ce tare analphab. ^{38.} / id. de tunis. facita pug.
19. / id.	ce entispiale. ^{39.} / id. per tunis. pte. expet.
20. / id.	de claus. in orbi. ^{40.} / id. de tare credotii. et
21. / id.	fundat. ^{41.} / id. adorau. oppign.
22. / id.	de fide habita. ^{42.} / id. — — — per aegypt.
23. / id.	rea obiogn. uoriant. fidig.
24. / id.	equid. potiden statu. ^{43.} / id. de pere potend. et
25. / id.	vera. ^{44.} / id. de a. tione regalotia




Ke 1394

VD 18


86-



Konf



Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q. D. B. V.
UTATIO JURIDICA,
DE
PRETATIONE
CIORUM PRINCIPIS,
3. de Constit. Princ.

E MAGNIFICENTISSIMO,
10 PRINCIPE AC DOMINO,
ERICO WILHELMO,
PRUSSICI HEREDE, &c. &c.

SUB PRÆSIDIO

IANI THOMASII, JCTI,
J. BORUSS. CONSILIARII, ET
PUBL. AC FACULT. JURID.
h. t. DECANI,

UDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTET

ANIEL KÜSTER,

BERNB. ANHALTINUS.

DIEM XXV. JUNII M DCC L

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

ISTOPHORI SALFELDII, VIDUÆ.

Recusa 1735.

26